



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac
publicis Ecclesiae de causis in ...**

Coloniae Agrippinae, 1640

De Processione in die festo Purificationis B. Maria Virginis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9480

inde Missa solemniter celebrari; nisi aliter ob grauem causam interdum Ordinario vel Clero videatur.

Processiones autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis & in Dominica Palmarum, & in Litanijs maioribus in festo Sancti Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, & in die festo Corporis Christi, vel alijs diebus pro Consuetudine Ecclesiarum.

Quædam verò sunt extraordinariæ, vt quæ varijs ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur auctoritate Episcoporum.

DE PROCESSIONE in die festo Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis.

*Completa benedictione & distributione
candelarum vt in Missali reformato,
A 2 fit*

fit Processio. Et primò Celebrans imponit incensum in thuribulum.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis: sequitur Clerus per ordinem, suo loco Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus: & cantantur Antiphonæ designatæ in Missali.

Finita Processione cantatur Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Euangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti usq; ad Communionem.

Mentionem fecimus Crucis cum luminibus, cuius auctorem faciunt S. Iohannem Chrysostrum Socrates & Sozomenus à Cæsare Franciotto in Obser. Circa mysteria totius anni.

Cruces autem à Regularibus cum velo pendente, seu pallio deportari debet, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 14. Ianuarij 1617. ad indicandam inferioritatem respectu Cleri sæcularis; eadem ratione, qua Baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium nodo eiusdem ad differentiam

Baculi

DE PROCESSIONIBVS.

Baculi Episcopalis, quod notatur in actis Eccl. Mediolan. de Supell. Eccl. lib. 2. Et imago Christi terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur, nisi sit Archiepiscopalis, vel Papalis, in qua imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, vel Papam, ut indicatur in Cæremon. Episcop. lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 16.

DE PROCESSIONE in die Palmarum.

IN Dominica Palmarum, facta benedictione ut in Missali & distributione Palmarum seu Oliuarum, post ultimam, Orationem fit Processio, ac primum Celebrans imponit in censum in thuribulum.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis: sequitur Clerus per Ordinem, suo loco Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum ramis in manibus: & cantantur Antipho-

A 3 na quo-